FRANCKESCHE STIFTUNGEN

Franckesche Stiftungen zu Halle

Brief von Carl Heinrich Theune an August Hermann Francke.

Theune, Carl Heinrich

Glaucha (Halle (Saale)), 09.06.1726

Nutzungsbedingungen
Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.
Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.
Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use
All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downladed and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.
Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.
For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-62401

Visual Library

A 180
9. VI. 1726
49

Vir Summe Venerande,

Pater in Domino æternum

Colende!

Redditus est mihi heri libellus Tuus hoc titulo inscriptus: Parænesès ad Theologiæ studiosos, qui præsertim hic Halæ ad hoc genus studiorum maxime venerabile incumbunt, directæ. Liber hic, quemadmodum ad me venit insperatus, ita mihi non potuit non esse longe exoptatissimus. Singularem enim Tuum erga me amorem ita declarat, ut me quidem felicissimum agnoscam, qui peculiari hoc et maximo Tuo favore utor, sed etiam indignissimum, cui tot ac tanta hujus benevolentiæ documenta statuas. Cum enim ante hac gavisus essem, meum nomen Tibi non esse plane ignotum, nunc eo magis gaudeo, me quoque

in

in numerum eorum ab Te eſſe receptum, quibus ſingulari Tua cura, precibus ardentiſſimis, amore denique ac benevolentia ſumma frui licet. In qua quidem re nullo plane opus fuiſſet teſte, cum mihi quoque jam antea, dum ſcholam hujus orphanotrophei per quatuor fere annos non ſine fructu frequentarem, cum reliquis ſcholæ, modo dictæ, alumnis, quos omnes impenſe amas, patrocinio Tuo uti, fuerit permiſſum. Jam vero, ubi hunc librum novum teſtem amoris Tui erga me eſſe voluiſti; inde augetur lætitia mea, corroboratur fiducia, creſcit animi ad veram virtutem ardor. Nulla enim re ſtertens hominum animus magis ex profundo ſomno ſuſcitatur, quam exemplo et admonitionibus ſuperiorum. Credas itaque hunc libellum, ſeu potius ipſum amorem Tuum, calcar mihi denuo ad veræ pietati ex animo ſtudendum, non ſolum jam admoviſſe, ſed etiam in poſterum ſubinde admoturum eſſe, paræneſes quoque, quas continet, omnes, novos ſtimulos, quoties cunque eas legam relegamque, in animo meo eſſe relicturas.

relicturas. Faxit modo Deus O. M. ut laudabile
cœptum Tuum in edendis in lucem paraeneſibus,
ſemper cedat ex animo. Sed hoc magis adhuc expeti-
mus a benigniſſimo Numine, ut, quod perficere cœpiſti,
Tibi novas vires addat, ut aquilæ inſtar renoveris, et
per plurimos adhuc annos paraeneſes ad nos, qui ab
ore Tuo pendemus, ipſe habere poſſis. Sic enim curret
verbum Domini et incredibili modo propagabitur non
ſolum ad plurimos homines ſed etiam ad ſeros us-
que poſteros, qui majori fortaſſe, quam nunc quidem a
pluribus fit, ſubmiſſione ſuſcipient ipſique lubentiſſi-
me obſequium præſtabunt. Sed nec nunc fruſtra
laborabis, quin potius multos lucri facies, quos Deus,
licet nos non cognoſcamus, optime novit. Cæterum
ex animo pro libello mihi dono miſſo ago gratias,
ſed Deo agam majores, quod Tibi ſuo adfuerit auxi-
lio hactenus, implorabo ut ſic pergat diutiſſime.
Sic lætabuntur omnes boni, exultabit eccleſia, Tua-
que domus univerſa valebit. Vale, mihique, quod
facis, ut etiam in poſterum faveas enixe rogo,

Summe Venerandi nominis
Tui
cultor perpetuus

Glauchæ ad Halam
die Vto Iduum Junii
1726.

C. H. Theune.
S. Th. St.

Viro
Maxime Reverendo, Augusto Hermanno Franckio, S. S. Theologiæ in alma Fridericiana Professori P. O. ad ædem Ulricianam Pastori Primario vigilantissimo, Pædagogii regii ac Orphanotrophei Glauchensis Directori gravissimo.
Domino ac Patrono meo ætatem colendo

Halæ.

Franckesche Stiftungen zu Halle